





PEARSONI

PRÆFATIO PARÆNETICA

AD VETUS TESTAMENTUM GRÆCUM

EX VERSIONE

SEPTUAGINTA INTERPRETUM;

JUXTA EXEMPLAR VATICANUM ROMÆ EDITUM.

CANTABRIGIÆ 1665.

CUM NOTULIS

EDVARDI CHURTON, A.M.

ECCL. EBOR. ARCHIDIAC. ET CANONICI.

CANTABRIGIÆ: DEIGHTON, BELL ET SOC.

LONDINI: BELL ET DALDY.

1855.

PEARSONI PRECATIO.

Oremus.

OMNIPOTENS et æterne DEUS, Qui te toto imples omnia, quem nec capiunt universa; a Te sumus, qui es fons omnium; ad Te venimus, qui es finis omnium. Agnoscimus omne datum optimum, et omne donum perfectum desursum esse. Descendat itaque benedictio tua super servos tuos, bonis literis operam navantes; adspira inceptis, adjuva conatus, promove studia, purga mentes ad cognitionem sui, Tuique, anhelantes; adsis propitius dirigasque exercitia nostra literaria, sub patrocinio tuo suscepta, et honori tuo dedicata. O Pater Luminum, da nobis intellectum, ut cognoscamus veritatem. O Pater Spirituum, da nobis animos, ut defendamus cognitam. O Princeps Pacis, largire nobis sapientiam, ut studeamus unitati, ut exstirpata hæresi, et profligato schismate, uno animo labioque Te colamus, Tibique debitam observantiam præstemus, ad Nominis tui gloriam, Ecclesiæ profectum, pietatis incrementum, et animarum nostrarum salutem, per JESUM CHRISTUM, Filium tuum, Dominum nostrum. Amen.

PRÆFATIO PARÆNETICA

AD VETUS TESTAMENTUM GRÆCUM EX VERSIONE SEPTUAGINTA INTERPRETUM, ETC.

CUM multa sint quæ de versione LXXvirali, typis academicis impressa, dici possent, ea tantum hoc loco tradenda duxi, quæ animum theologiæ studio addictum ad eam assidue pervolvendam et accurate perpendendam maxime impellant. Neque vero de ejus antiquitate dignitateque quicquam inpræsentiarum dicemus, de quibus viri docti multa, hoc præsertim sæculo, scripsere; qui cum maxime inter se dissentiant, nihil adhuc satis certi et explorati videntur tradidisse.

Primo itaque versionem hanc frequentius consulendam diligentiusque excutiendam arbitror, quo melius Veteris Testamenti mens intelligatur, et Mosis Prophetarumque sensus liquidior appareat. Cum enim textus Hebraicus, quemadmodum apud nos hodie exstat, et vel Judæorum vel Christianorum commentariis enarratur, sæpe obscurus sit; hi interpretes facilem aliquando sensum, apertum, et concinnum præbent. Fateor equidem hunc explicandi modum, a Senioribus illis haustum, non in eo pretio apud plerosque esse quo oportuit, ex opinione nimis pervulgata, LXXviralem scilicet versionem esse ab Hebraica veritate maxime alienam; eandemque interpretandi rationem video multo invidiosiorem ab iis hominibus factam esse, qui,

cum sint textui Masoretico maxime infensi, auctoritati LXX plurimum tribuere videri volunt; quales hoc sæculo fuere Morinus et Capellus, viri sane docti, sed hypothesibus suis nimis addicti, et ingenio suo nimium plerumque tribuentes. Quam autem feliciter Seniores illi S. Scripturam sint interpretati, vel inde luculenter apparebit, si consideremus quam infeliciter fuerint malæ interpretationis accusati. S. quidem Hieronymus passim hanc versionem vituperat, ejusque auctoritatem labefactare conatur; sed sæpenumero sine ratione. Legimus, Gen. xxv. 8. וַיִּגְוַע וַיָּמָת אַבְרָהָם quæ verba Seniores in hunc modum transtulerunt, καὶ ἐκλείπων ἀπέθανεν Ἀβραάμ. S. autem Hieronymus breviter hunc locum ita repræsentat, *et mortuus est Abraham*, statimque subjungit, "Male in LXX interpretibus additum "est, *et deficiens Abraham mortuus est*, quia non con- "venit Abrahæ deficere et imminui[a]." At neque male additum, neque quidem additum est. Quis enim nescit et וַיִּגְוַע in Hebræo legi, et גוע recte reddi per τὸ ἐκλείπειν, quod vocabulum non imminutionem Abrahæ, sed euphemismum continet, et placidam ac quietam mortem denotat. Ita certe Onkelos et Jonathan reddidere וְאִתְנְגִיד־וַיָּמוֹת, et Vetus Interpres hic S. Hieronymum deseruit, transtulitque, *et deficiens mortuus est*. Est igitur τὸ ἐκλείπειν Græcis interpretibus *expirare, mori*. Quod non erat exagitandum, sed observandum potius; idque ad intelligendum S. Lucam, apud quem, cap. xvi. 9. Christus ita loquitur: Ποιήσατε ἑαυτοῖς φίλους ἐκ τοῦ μαμωνᾶ τῆς ἀδικίας, ἵνα, ὅταν ἐκλίπητε, δέξωνται ὑμᾶς εἰς τὰς αἰωνίους σκηνάς. Licet enim

[a] Quæst. Hebr. in Genesin, tom. iii. p. 344.

et Alexandrinus et Cantabrigiensis MSS. aut ἐκλείπῃ aut ἐκλίπῃ legant, quam lectionem etiam Syrus est secutus cum Æthiopico; non dubito tamen quin ἐκλίπητε, ut reliqui omnes legunt, primo scriptum fuerit, et mutatum in ἐκλείπῃ ab iis qui hunc τοῦ ἐκλείπειν sensum non observassent: est enim ὅταν ἐκλίπητε, vulg. vers. *cum defeceritis*, loquendi modo LXX præsertim familiari, *cum moriemini;* sive, ut recte Theophylactus, ἵνα, ὅταν ἐκλίπωμεν, καὶ ἀναχωρῶμεν ἐκ τοῦ βίου.

Ita Gen. xxvi. 17, Veteres ex Græco Latini, *et abiit inde Isaac, et venit in vallem Gerarum, et habitavit ibi.* Ad hæc S. Hieronymus, "Pro *valle, torrentem* habet "in Hebræo[b]:" scilicet בְּנַחַל־גְּרָר. At נַחַל tam *vallem* significat quam torrentem; locum nempe depressum, sive aquis coopertus, sive nudus sit[c]. Nulla igitur causa a voce Hebræa, ob quam non tam *vallis* quam *torrens* verteretur. At rationem affert doctissimus Pater ex contextu, miram sane: "Neque enim Isaac, "postquam magnificatus est, in valle habitare poterat." Neque hac importuna objectione contentus, ad vers. 19. *Et foderunt pueri Isaac in valle Gerarum, et invenerunt ibi puteum aquæ vivæ*, hæc annotat: "Et hic "pro *valle torrens* scriptus est. Nunquam enim in "valle invenitur puteus aquæ vivæ." Mira quidem hæc philosophia; mira hæc a S. Hieronymo profecta, cujus Psalmorum versio juxta Hebraicam veritatem habet, *Qui emittis fontes e convallibus.* Frustra igitur hic sugillantur LXX, nec bene Vulgatus Interpres eos reliquit, ut S. Hieronymum sequeretur; unde commentatorum pueriles errores pullularunt.

[b] Quæst. Hebr. p. 346. [c] Vid. Hammondi not. in Psalm. cx. 7.

Legimus, Gen. xxviii. 19. וְאוּלָם לוּז שֵׁם הָעִיר לָרִאשֹׁנָה׃ LXX: καὶ Οὐλαμλοὺζ ἦν ὄνομα τῇ πόλει τὸ πρότερον. Ad quem locum hæc habet S. Hieronymus in Traditionibus Hebraicis[d]: "Ridicule quidam verbum "Hebraicum *ulam* nomen esse urbis putant, cum *ulam* "interpretetur *prius.* Ordo itaque iste est lectionis, "*Et vocavit nomen loci illius Bethel, et prius Luza* "*vocabulum erat civitatis.* Antiquæ omnes Scripturæ "verbo *ulam,* sive *elem,* plenæ sunt; quod nihil aliud "signat nisi *ante* aut *prius*, vel *vestibulum,* sive *super*-"*liminare,* vel *postes*[e]." At οὐλάμ hic non est nomen urbis, sed pars nominis: ut cum apud Strabonem legimus, μεταξὺ δὲ Πολίχνης καὶ Παλαισκήψεως ἡ Νεακώμη[f], πάλαι non est nomen urbis, sed Σκήψει additum urbem significat, quæ quinquaginta[g] stadiis superius steterat quam postea ἡ νέα Σκῆψις, ut Strabo loquitur. Neque ulla ex diversis significationibus τοῦ אוּלָם huic loco convenire potest; non *vestibulum,* sive *superliminare,* non *postes;* imo nec *ante* aut *prius;* illud enim hic לָרִאשׁוֹנָה. Relinquitur igitur ut pertineat ad nomen urbis, quod LXX potuit esse notissimum, qui DC annis ante S. Hieronymum vixere[h]. De hac urbe

[d] Quæst. Hebr. p. 349. Eadem fere habet in versione Eusebii Libri de Situ et Nominibus Locorum Hebr. ad voc. Βαιθήλ. ib. p. 166.

[e] "postea," in impressis, errore typothetarum. Pauca alia menda hic illic correximus.

[f] Lib. xiii. p. 603. Idem, lib. xvi. p. 758. Μετὰ δὲ τὴν Τύρον ἡ Παλαίτυρος.

[g] "sexaginta" in impressis. Error natus e numero LX in loco Strabonis paululum huic prævio, ubi de Troum Catalogo Homerico loquitur, et versus numerat.

[h] Diversa ratio est qua Joannes Clericus hanc Hieronymi censuram impugnat, negans scil. vocem אוּלָם significare unquam *prius:* ad quem respondet Vallarsius ad loc. Hieron. tom. iii. p. 166.

Οὐλαμλοὺζ Eusebius in Locis Hebraicis, *αὕτη ἐστιν ἡ καὶ κληθεῖσα Ζαβουλὰ, καὶ μετὰ ταῦτα Βαιθήλ.* Ita Codex Bonfrerii, sed corruptus, ut ipse suspicatus est. At Codex meus, MS. *κληθεῖσα Λοῦζα*[i], quod sequentia firmant, *δεδήλωται ἀνωτέρω.* Nempe in voce Βαιθὴλ, *ἣ δὲ τὸ πρότερον ἐκαλεῖτο καὶ Λοῦζα*, et in voce Λοῦζα, *ταύτην ἐπωνόμασεν* Ἰακὼβ Βαιθήλ.

Pariter LXX malæ fidei frustra et sine ratione accusantur, Gen. xiii. 13. *Et viri Sodomorum mali et peccatores in conspectu Dei vehementer.* "Superflue," inquit S. Hieronymus, "hic in LXX interpretibus "additum est, *in conspectu Dei.* Siquidem Sodomorum "coloni apud homines mali et peccatores erant; ille "autem dicitur *in conspectu Dei* peccator, qui potest "apud homines justus videri." At certe illa verba, *in conspectu Dei*, non sunt superflue addita, sed ad interpretandum לַיהוָֹה in Hebræo. Neque mala est interpretatio, si accipiamus לַיהוָֹה pro לִפְנֵי יְהוָֹה; ita Chald. קֳדָם יְיָ, ita Vulg. *peccatores coram Domino nimis.*

Quid quod doctissimus Pater Aquilam "proselytum "contentiosum," Symmachum et Theodotionem "Ju-"daizantes hæreticos[k]" sæpe sequitur, et LXX Interpretibus præfert, ubi nulla omnino præferendi ratio comparet? Ut Psalm. lxxxix. (xc.) 7. "Pro eo quod "nos diximus, *turbati sumus*, Symmachus et Aquila

[i] Ita etiam ex codice Vaticano emendavit Vallarsius, ad Hieron. Opp. tom. iii. p. 288.

[k] Vid. Hieron. Epist. lvii. § 11. et Comment. in Abacuc, lib. ii. ad cap. iii. 13. De Aquila plura habet Epiphanius De Mensur. et Ponder. c. xv, xvi. De Symmacho et Theodotione, ibid. c. xvi, xvii. De his versionibus fusius agit J. G. Carpzovius in Introd. ad Libros Vet. Test.

"transtulerunt, *acceleravimus.*" Et paulo post: "Pulchre autem, non ut in Septuaginta habetur, *turbati sumus,* sed juxta Hebraicum, *acceleravimus* dicitur." Imo vero juxta Hebraicum ἐταράχθημεν, *turbati sumus,* dicitur; id enim omnino נִבְהָלְנוּ sonat. Licet enim בהל in Piel aut Hiphil *festinare* aut *accelerare* significet, in Niphal tamen *subito terrore percelli,* et *conturbari* denotat. Ut Psalm. vi. 3. וְנַפְשִׁי נִבְהֲלָה מְאֹד רְפָאֵנִי יְהוָֹה כִּי נִבְהֲלוּ עֲצָמָי ἴασαί με, Κύριε, ὅτι ἐταράχθη τὰ ὀστᾶ μου, καὶ ἡ ψυχή μου ἐταράχθη σφόδρα. Quem locum ipse S Hieronymus juxta Hebraicam veritatem ita transtulit: *Sana me, Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea, et anima mea conturbata est valde.* Et Psalm xlviii. 5. נִבְהֲלוּ נֶחְפָּזוּ, ἐταράχθησαν, ἐσαλεύθησαν· [LXX.] Hieron. *conturbati sunt, admirati sunt.* Imo, quod ulterius observandum est, ipse doctissimus Pater, qui in Epistola ad Cyprianum[l] ita versionem LXX vituperat, in versione sua juxta Hebraicam veritatem Seniores sequitur: *Consumpti sumus in furore tuo, et in indignatione tua conturbati sumus.*

Gen. xxxviii. 5. Vetus Latina versio ex LXX facta, *hæc autem erat in Chazbi, quando peperit eum.* Ad quæ verba S. Hieronymus, Traditionibus Hebraicis in Genesin: "Verbum Hebræum hic pro loci vocabulo "positum est, quod Aquila pro re transtulit, dicens, "*Et vocavit nomen ejus Selom. Et factum est, ut men-*"*tiretur in partu postquam genuit Selom.* Postquam "enim genuit Selom, stetit partus ejus. *Chazbi* ergo, כָּזְבִי non nomen loci, sed *mendacium* dicitur[m]." At

[l] Epist. cxl. (al. cxxxix.) 10.

[m] Quæst. Hebr. p. 364. "Contra Hieronymum sentiunt interpretes plerique alii veteres "recentesque." Vallars. in loc. In versione vocis *Achzib*, Mic. i.

nec כְּזִבִי in Hebræo legitur; nec *mendacium*, si ita legeretur, significaret, quod est כָּזָב, neque וְהָיָה בִכְזִיב exponi possunt, *et factum est in mentiendo*, sive *ut mentiretur*, cum כזיב infinitivi formam non habeat. Vocabulum igitur loci agnoscit Onkelos, et cum eo R. Solomon et Aben-Ezra. Eusebius diserte, Lib. de Locis Hebraicis, Χασβεὶ, ἔνθα ἐπήχθησαν, (ita Euseb. a Bonfrerio editus, sed rectius MS. noster,) Χασβὶ, ἔνθα ἐτέχθησαν τῷ Ἰούδα παῖδες· δείκνυται νῦν ἐν ὁρίοις Ἐλευθεροπόλεως ἔρημος πλησίον Ὀδολλάμ. Frustra igitur hic Aquila Senioribus præfertur, et Vulgata Versio immerito S. Hieronymum est secuta, *quo nato parere ultra cessavit.*

Gen. ii. 8. וַיִּטַּע יְהוָֹה אֱלֹהִים גַּן בְּעֵדֶן מִקֶּדֶם LXX, Καὶ ἐφύτευσεν Κύριος ὁ Θεὸς παράδεισον ἐν Ἐδὲμ κατὰ ἀνατολάς. Omnia proprie atque perspicue. Ad hæc S. Hieronymus, "pro *paradiso* in Hebræo *hortum* "habet; id est, *gan*[n]." At erat ille hortus arborum omni genere consitus, qui certe est παράδεισος. Quod vocabulum et locum hunc sine dubio recte expressit, et ad superiorem sensum in Novo Testamento ideo est accommodatum. "Porro," inquit, "Eden, עֵדֶן, *deliciæ* "interpretantur." Recte: ita Hesych. Ἐδὲμ, τρυφή. Et Suidas, v. Παράδεισος. Ἐδὲμ δὲ τροφὴ ἑρμηνεύεται. Lege, τρυφή. Ita Patres. "Pro quo Symmachus trans-"tulit *paradisum florentem*." At hoc minus recte; licet enim עֵדֶן delicias denotet, hic tamen nomen loci est, quod ex adjuncta præpositione patet: גַּן בְּעֵדֶן non est *paradisus florens*, neque בְּעֵדֶן ad גַּן proxime spectat,

14. quæ Drusio eadem est cum *Chezib* in Gen. melior est consensus inter Seniores et Hieronymum.

[n] Quæst. Hebr. p. 307.

sed ad יֵשַׁע referri debet. Et nomen loci esse perspicuum est ex iis quæ dicuntur de Caino Gen. iv. 16. Καὶ ᾤκησεν ἐν γῇ Ναῒδ κατέναντι Ἐδέμ. Recte Eusebius de Locis Hebraicis, Ἐδὲμ, ὁ τοῦ θείου παραδείσου τόπος εἰς ἀνατολάς· ἑρμηνεύεται δὲ καὶ τρυφή. Sed progreditur doctissimus Pater: "Necnon quod sequitur, *contra* "*orientem*, in Hebræo *mikedem*, מִקֶּדֶם scribitur, quod "Aquila posuit ἀπὸ ἀρχῆς, et nos, *ab exordio*, possumus "dicere; Symmachus vero, ἐκ πρώτης, et Theodotion, "ἐν πρώτοις, quod et ipsum non *orientem*, sed *prin*-"*cipium* significat. Ex quo manifestissime compro-"batur, quod priusquam cœlum et terram Deus "faceret, paradisum ante condiderat, sicut et legitur "in Hebræo: *Plantaverat autem Deus paradisum* "*in Eden a principio*." Ita doctissimus Pater in sententiam incidit, Judaicorum interpretum gratia ductus, cui nec Judæi ipsi favent[o].

Ex eodem fonte fluxerunt aliæ adversus Seniorum interpretationem exceptiones. LXX, Gen. xxxiii. 1. Καὶ διεῖλεν, vel ἐπιδιεῖλεν, Ἰακὼβ τὰ παιδία ἐπὶ Λείαν, καὶ ἐπὶ Ῥαχὴλ, καὶ ἐπὶ τὰς δύο παιδίσκας. *Et divisit pueros super Liam, et super Rachel, et super duas ancillas*. Ad hæc verba S. Hieronymus in Traditionibus Hebraicis, "non, ut plerique existimant, tres turmas fecit, sed "duas. Denique ubi nos habemus *divisit*, Aquila posuit "ἡμίσευσεν, id est, *dimidiavit;* ut unum cuneum faceret "ancillarum cum parvulis suis, et alium Liæ et Rachel, "quæ liberæ erant, cum filiis earum[p]." At melius LXX Hebræum וַיַּחַץ transtulerunt *divisit*, quam Aquila

[o] Vid. libr. Apocryphum 2 Esdræ iii. 6. quem locum contulit Vallarsius.

[p] P. 385.

dimidiavit; est enim חָצָה simpliciter *dividere,* in quotcunque partes divisio fiat; ut Jud. ix. 43. וַיִּקַּח אֶת־הָעָם וַיֶּחֱצֵם לִשְׁלֹשָׁה רָאשִׁים *Et tulit exercitum suum, et divisit in tres turmas.* Et Dan. xi. 4. תִּשָּׁבֵר מַלְכוּתוֹ וְתֵחָץ לְאַרְבַּע רוּחוֹת הַשָּׁמָיִם *Conteretur regnum ejus, et dividetur in quatuor ventos cœli.* Et quod hoc ipso loco Jacobus diviserit filios suos in tres turmas, ex ipso textu patet; *divisit* enim *super Liam, et super Rachel, et super duas ancillas,* v. 1. *Et posuit utramque ancillam et liberos earum in principio, Liam vero et filios ejus in secundo loco,* (Heb. אַחֲרֹנִים i. e. *primis posteriores,*) *Rachel autem et Joseph novissimos,* (Heb. אַחֲרֹנִים i. e. *adhuc posteriores.*) v. 2. *Et appropinquantes ancillæ et filii earum incurvati sunt.* v. 6. *Accessit quoque Lia cum pueris suis, et cum similiter adorassent, extremi* (Heb. וְאַחַר Chald. וּבָתַר־כֵּן LXX καὶ μετὰ ταῦτα,) *appropinquantes Joseph et Rachel adoraverunt.* v. 7.

Quid quod S. Hieronymus interpretationem LXX tanquam impropriam sæpe rejicit, vel quod male ante ipsum fuerit Latine explicata, vel quod eam ipse minus recte intellexerit. Cum enim hæc Græca Versio prioribus Ecclesiæ sæculis fuerit sæpius translata, idque ab iis factum sit, qui linguæ Hebraicæ ignari, eam cum textu authentico conferre non potuerint; fieri non potuit, quin multa aliter Latine exprimerentur, quam Græca verba, quæ Hebræis semper respondebant, sonarent. Ut Psalm. cxxvii. (cxxviii.) 2. τοὺς πόνους τῶν καρπῶν σου φάγεσαι, Veteres transtulerunt, *labores fructuum tuorum manducabis;* sensu nullo: "cum in hoc "loco non LXX Interpretes, sed Latini, de Græci "verbi ambiguitate decepti, καρποὺς *fructus* magis quam "*manus* interpretati sint, cum καρποὶ *manus* quoque

"dicantur, quod in Hebræo ponitur *capheca,* כַּפֶּיךָ," ut recte disserit S. Hieronymus, Epist. cxli. (al. xxxiv. 5.) כַּף enim proprie *vola,* quæ est καρπός. Plena locutio 1 Sam. v. 4. כַּפּוֹת יָדָיו οἱ καρποὶ τῶν χειρῶν αὐτοῦ. Recte Theodoretus, Ὁ δὲ Σύμμαχος, κόπον χειρῶν σου ἐσθίων· ὡς εἶναι δῆλον ὅτι καὶ οἱ Ἑβδομήκοντα καρποὺς οὐ τὴν ἐπικαρπίαν ἐκάλεσαν, ἀλλὰ τὸ μόριον τῶν χειρῶν. Quod ideo fuit notandum, quia hic Latini interpretis error pro correctione fœdam Senioribus corruptionem intulit. Cum enim putarent melius dici *fructus laborum* aliquem munducare, quam *labores fructuum,* etiam Græco textui vim intulerunt, et, pro τοὺς πόνους τῶν καρπῶν σου, scripserunt τοὺς καρποὺς τῶν πόνων σου, ut in vetustissimo Alexandrino MS. legitur.

Male igitur aliquando LXX in Latinum sermonem sunt translati, et S. Hieronymus, malam translationem secutus, non Latino Interpreti, sed Senioribus ipsis imputat. Ut Gen. xxxiv. 25. *Et introgressi sunt civitatem diligenter, et interfecerunt omnem masculum.* Ad quæ verba doctissimus Pater, "pro eo quod in "Græcis legitur, ἀσφαλῶς, id est, *diligenter,* in Hebræo "scriptum est בֶּטַח *beta,* id est, *audacter et confidenter*[q]." At ἀσφαλῶς non recte vertitur *diligenter;* multo minus eo sensu hic capiendi sunt Seniores, qui Hebraicum בֶּטַח optime exprimunt, sive ad Sichemitas, cum Paraphraste Chaldaico, sive ad Jacobi filios referatur. Est enim בֶּטַח proprie ἀσφάλεια, id est, non *diligentia* sed *securitas,* et לָבֶטַח sive, per ellipsin, בֶּטַח, ἀσφαλῶς, *secure;* ut Lev. xxvi. 5. וִישַׁבְתֶּם לָבֶטַח בְּאַרְצְכֶם καὶ κατοικήσετε μετ' ἀσφαλείας ἐπὶ τῆς γῆς ὑμῶν. Habi-

[q] Quæst. Hebr. ib. p. 359.

tabant Sichemitæ *secure*, nihil mali metuentes; et ingressi sunt Jacobi filii *secure*, id est, sine periculo.

Legimus Gen. xlix. 21. Νεφθαλὶ στέλεχος ἀνειμένον ἐπιδιδοὺς ἐν τῷ γεννήματι κάλλος. Quæ verba sic Latine exhibet S. Hieronymus, *Nephthalim virgultum resolutum, dans in generatione pulchritudinem.* At neque στέλεχος *virgultum*, neque ἀνειμένον, *resolutum*, neque γέννημα *generationem* significat. Ita Græcis Latina minime respondent. Melius multo Latine versa exstant apud Ruffinum, lib. ii. de Benedictionibus: *Arbor remissa*, al. *emissa*, vel, ut nostra exemplaria habent, *vitis diffusa, proferens in fructibus decorem:* et rursus, *vel arbor diffusa, vel vitis.* Apud S. Ambrosium, [De Benedict. Patriarch. c. x.] *Nephthalim vitis remissa, porrigens in germine decorem.* Στέλεχος certe non est *virgultum*, quod proprie est a virgula, ut a salice salictum. Gloss. *Virgulta*, βλαστήματα, θάμνοι, et Græco-Latin. βλάστημα, *germen, virgultum.* Hic autem στέλεχος aut arbor ipsa, aut ejus truncus, ex quo τὰ βλαστήματα, seu *virgulta:* אֵיָלָה enim *arbor.* Ἀνειμένον etiam non *resolutum* est, aut *remissum*, sed ab ἀνίημι, quod *emittere* et *proferre* denotat, et ad plantas cum spectat, germinationem significat, et Hebræo שְׁלֻחָה optime respondet: ut Psalm. lxxx. 12. תְּשַׁלַּח קְצִירֶהָ עַד־יָם et Ezek. xvii. 6. וַתְּשַׁלַּח פֹּארֹת *et emisit propagines*, et Jerem. xvii. 8. וְעַל־יוּבַל יְשַׁלַּח שָׁרָשָׁיו vulg. *ad humorem mittit radices suas.* Ita Dioscorides, de Xiphio, lib. iv. c. 2. καυλὸν δὲ ἀνίησι πηχυαῖον, καρπὸν δὲ στρογγύλον ῥίζας β. Est igitur στέλεχος ἀνειμένον, אֵיָלָה שְׁלֻחָה *arbor* vel *truncus emissus, diffusus, germinans, propagines emittens:* cui optime respondet γέννημα, illud scilicet quod emittitur,

sive *fructus*, ut Ruffinus, sive *germen* potius, ut Ambrosius: *ramum* enim vel *frondem* significare videtur, ut respondeat אָמִיר. Atque ita hæc plana sunt, ut "designet historia Nephtalim rura possedisse "arboribus nemorosa," ut loquitur Ruffinus. Cum si אַיָּלָה שְׁלֻחָה cum S. Hieronymo sive *agrum irriguum*, sive *cervum emissum* interpreteris, posteriorem partem vaticinii cum priori vix unquam conciliaveris.

Rebeccam ita alloquitur Jacobus, Gen. xxvii. 12. Μή ποτε ψηλαφήσῃ με ὁ πατήρ μου, καὶ ἔσομαι ἐναντίον αὐτοῦ ὡς καταφρονῶν. Vers. Lat. Rom. *Ne forte attrectet me pater, et ero in conspectu ejus quasi spernens.* Ubi primum μή ποτε non est *ne forte*, sed *forte*, idem quod Hebræum אוּלַי, ita enim Græci cum dubitant loqui solent. At vero quare Jacobus vereatur, ne appareat patri *quasi spernens*, non video; non hanc expositionem vox Hebræa, non res ipsa admittit, sed alium omnino sensum postulat. Melius fortasse dices כִּמְתַעְתֵּעַ ab Aquila versum, ὡς καταμωκώμενος, *ut irridens*, aut a Symmacho, ὡς καταπαίζων, *ut illudens*, quem secutus est Vulgatus Interpres, quam a LXX ὡς καταφρονῶν, *ut spernens*. Et recte quidem, si καταφρονῶν tam frigide interpretemur. Est sane ea vocis Græcæ usitata significatio, sed non sola, nec huic loco accommoda. LXX alibi vocem hanc Hebræam per μωκᾶσθαι et ἐμπαίζειν transtulere, unde suam interpretationem Aquila et Symmachus hauserunt: hic autem καταφρονῶν potius usurparunt, ut huic loco magis accommodum. Hesych. Καταφρονέων, καταβουλευόμενος, *adversus aliquem consilium capiens, insidias struens, dolose affectans;* ut de Pisistrato loquitur Herodotus, lib. i. § 59. καταφρονήσας τὴν τυραννίδα

ἤγειρε τρίτην στάσιν, *dolose affectans tyrannidem, tertiam seditionem excitavit.* Est itaque καταφρονῶν idem quod ἐπίβουλος, *insidiator, deceptor, impostor, prævaricator.* Ut Prov. xiii. 15. Σύνεσις ἀγαθὴ δίδωσι χάριν· ὁδοὶ δὲ καταφρονούντων (Heb. בֹּגְדִים *subdolorum, impostorum, callide et perfide agentium,* non autem *contemnentium,* ut vulgo redditur,) ἐν ἀπωλείᾳ. Et Sophon. iii. 4. Οἱ προφῆται αὐτῆς πνευματόφοροι, ἄνδρες καταφρονηταί. *Prophetæ ejus,* non *portantes spiritum,* ut vulgo, πνευματοφόροι, sed πνευματόφοροι, פֹּחֲזִים, quasi *vento lati, desultorii ac leves;* viri, non *contemptores,* sed אַנְשֵׁי בֹּגְדוֹת id est *prævaricatores*[r].

Neque tantum LXXviralis versio ad intelligendum textum Hebræum utilis est imprimis et perquam necessaria, sed etiam ad ipsum textum confirmandum, etiam eum aliquando, quem nunc habemus, Masoretharum diligentia conservatum, saltem quod ad literas spectat. Ut Gen. xiv. 5. habemus scriptum בְּהָם; at ætate S. Hieronymi legebatur, ab ipso saltem, בחם. Ita ipse testatur in Traditionibus Hebraicis. "Porro "בהם, pro quo dixerunt LXX ἅμα αὐτοῖς, hoc est, "*cum iis,* putaverunt scribi per ה *he,* ducti elementi "similitudine, cum per ח scriptum sit. *Beham* enim "cum per tres literas scribitur, si mediam ה habet, "interpretatur, *in eis;* si autem ח *heth,* ut in præsenti, "locum significat, id est *in Ham*[s]." Aliter igitur legebat S. Hieronymus, quam nos nunc legimus: ille בחם, nos בהם; sed lectioni hodiernæ patrocinantur LXX Interpretes, qui iisdem literis, quibus et nos, בהם

[r] Ita Versio Anglicana, *Her prophets are* light *and* treacherous *persons.* [s] P. 327.

legerunt, ut et codex Hebræorum Samaritanus; neque de loco qui diceretur *Ham*, puto, uspiam legitur.

Si igitur LXX Seniorum fama sine ratione non læderetur, si Judaizantes hæretici sine causa iis non præponerentur, si ipsi ex Græcæ linguæ copia et collatione cum Hebræo codice recte intelligerentur, si denique non solum quoties ab hodierno textu discrepare videntur, sed etiam quoties cum eo consentiunt, ejusdemque lectionem literariam stabiliunt, perpenderemus, eorum versionem ad Mosen et prophetas probe intelligendos plurimum valere nemo unquam dubitaret.

Secundo, Versio LXXviralis magni semper æstimanda, et in promptu theologis habenda, quo testimonia ab apostolis reliquisque Novi Fœderis scriptoribus ad probandum Jesum esse Christum, et veritatem Christianæ religionis illustrandam, ex Veteri Testamento deprompta confirmentur, et ab omni exceptione liberentur. "Hoc enim generaliter observandum, quod "ubicunque sancti Apostoli aut Apostolici viri loquun- "tur ad populos, iis plerumque testimoniis abutuntur, "(id est, utuntur,) quæ jam fuerant in gentibus di- "vulgata," scil. ex interpretatione LXX, ut loquitur S. Hieronymus[t]. Et recte quidem observatum est, Apostolos et Apostolicos viros testimonia ex Græco usurpasse, cum loquerentur "ad populos;" non tamen hoc cum restrictione accipiendum: ad quoscunque enim loquuntur, aut quocunque modo scribunt, sæpe testimonia ex Seniorum versione depromunt. S. Irenæus, lib. iii. c. 25. "Etenim Apostoli, cum sint his "omnibus vetustiores, consonant prædictæ interpreta- "tioni, et interpretatio consonat Apostolorum tradi-

[t] Quæst. Hebr. p. 371. in Gen. xlvi. 26.

"tioni. Etenim Petrus, et Johannes, et Matthæus, et "Paulus, et reliqui deinceps, et horum sectatores, "prophetica omnia ita enunciaverunt, quemadmodum "Seniorum interpretatio continet." Quæ verba, licet, quod ad loca spectat, nimis universaliter dicta videantur, quod tamen ad auctores attinet, sunt verissima. Omnes enim plerumque, ubi Vetus Testamentum advocant, Seniorum verbis loquuntur; neque an recte id fecerint, dubitare nos sinit Spiritus, quo scripsere. Hoc autem consilium Dei, qui per scriptores Novi Testamenti loquitur, summa cum veneratione recipiendum est: testimoniaque ab iis producta omni modo defendere nos potius decet, quam Apostolos, reliquosque scriptores sacros, ut aliqui loquuntur, "excusare[u]."

Legimus, Heb. viii. 7. ubi Apostolus non loquitur ad populos, neque gentes quibus sola Græca Scriptura erat divulgata, sed Hebræos affatur, et Christum Mosi, et Novum Veteri Fœderi præferendum probat: *Nam si illud prius culpa vacasset, non utique secundi locus inquireretur. Vituperans autem eos dicit &c.* Ὅτι αὐτοὶ οὐκ ἐνέμειναν ἐν τῇ διαθήκῃ μου, κἀγὼ ἠμέλησα αὐτῶν, λέγει Κύριος. Quæ sunt ipsissima LXX verba, ad argumentum Apostoli accommodata, ex Jer. xxxi. 32. quæ rem ipsam optime explicant, et discrimen inter duo Fœdera ostendunt, et Judæos legi Mosaicæ adhærentes a Deo rejectos docent. Ubi non est excusandus Apostolus, sed defendenda LXXviralis Versio, quæ auctoritate Apostoli corroboratur. Neque hic admittendus est Vulgatus Interpres, licet S. Hieronymum sequutus; qui hunc locum ita repræsentat, *pactum,*

[u] Alluditur ad verba S. Hieronymi in Comment. in Epist. ad Galatas, lib. iii. cap v. 12.

quod irritum fecerunt, et ego dominatus sum eorum, dicit Dominus: aut paraphrastes Chaldaicus, qui reddit וַאֲנָא אִתְרְעֵתִי בְהוֹן *et ego complacui mihi in eis:* hac enim interpretatione non tantum Judæorum rejectio obscuratur, sed etiam Veteris et Novi Fœderis discrepantia tollitur, ut ipsi etiam interpretes Judaici fatentur. Est igitur omnino Græca versio defendenda; idque faciendum sine præjudicio textus Hebraici. Neque enim legendum cum Capello גָּעַלְתִּי בָּם, (quod nusquam legitur, sed potius גְּעַלְתִּים,) neque cum Hugone Grotio dicendum LXX legisse בָּחַלְתִּי, quæ vox semel quidem reperitur, cum בְּ conjuncta, Zach. xi. 8. וְגַם נַפְשָׁם בָּחֲלָה בִי, quem locum ita interpretati sunt LXX, καὶ γὰρ αἱ ψυχαὶ αὐτῶν ἐπωρύοντο ἐπ' ἐμέ· *siquidem animæ eorum rugiebant super me;* ut Theodoretus accepit, qui ita sensum expressit, ἐπειδὰν τοίνυν θηριωδῶς μοι προσῆλθον οἱονεὶ βρυχώμενοι, καὶ τὴν ἐμὴν διψῶντες σφαγήν; vel ut in aliquibus libris legitur, ἐπορεύοντο, uti fortasse legebat S. Hieronymus, qui Latine in hunc modum exhibet, *siquidem et animæ eorum irruebant super me.* Quocunque modo legas, verisimile non est LXX Interpretes, qui locum Zachariæ ita sunt interpretati, apud Jeremiam legisse בָּחַלְתִּי. Et Seniores proculdubio בָּעַלְתִּי ἠμέλησα transtulerunt, cum, et Judæis asserentibus, et Arabica lingua testante, בָּעַל *aspernari, fastidire, repudiare* significet, et contextus ipse hanc significationem postulet[x].

Insignis locus est Heb. x. 38. Ὁ δὲ δίκαιος ἐκ πίστεως ζήσεται· καὶ ἐὰν ὑποστείληται, οὐκ εὐδοκεῖ ἡ ψυχή μου ἐν αὐτῷ. Quibus verbis tanquam fundamento utitur [Apostolus], dum Hebræos ad perseverantiam cohor-

[x] Confer not. Pococki, quem citat Michaelis in Jer. xxxi. 32.

tatur. Sumpta autem sunt ex Habac. ii. 4. ordine tantum inverso, quo melius eos a lapsu deterreat; idque secundum versionem LXX. Quod ideo fuit notandum, ut perspicere possimus, qualis sit illa observatio S. Hieronymi, quam ad hunc prophetæ locum protulit[y]: "Porro quod Apostolus LXX magis testimonio abusus "est ad Romanos scribens, *Justus autem ex fide mea* "*vivet*, et non eo quod habetur in Hebraico, causa "perspicua est. Scribebat enim Romanis, qui Scripturas "Hebraicas nesciebant: nec erat ei cura de verbis, cum "sensus esset in tuto, et damnum ex eo præsens dispu-"tatio non habebat. Alioquin ubicunque diversus est "sensus, et aliter scriptus est in Hebraico, aliter in "LXX, nota eum uti his testimoniis, quæ a Gamaliele "doctore legis didicerat." Ubi observandum primo legisse S. Hieronymum, cap. i. v. 17. ad Rom. *ex fide mea;* cum nec in Græcis nec in Latinis codicibus ita nunc legatur, sed *ex fide* tantum[z]. Id autem mirum alicui videatur, quod doctissimus Pater, qui alibi solum S. Lucam testimoniis ex LXX deductis, ubi ab Hebræo discrepant, abuti contendit[a], id nunc de S. Paulo concedat, et rationem reddat, quod Romanis scriberet, "qui Scripturas Hebraicas nesciebant;" ac si Corinthii, Galatæ, Ephesii, reliquique, magis Hebraicam linguam callerent, quam Romani. Mirum adhuc magis, quod asserat S. Paulum alibi semper ex Hebraico testimonia petere; cum ipse testetur, "Pauli idcirco ad Hebræos "Epistolæ contradictum esse, quod ad Hebræos scribens

[y] Comment. in Abacuc, lib. i. cap. 2. tom. vi. p. 612. ed. Vallars.

[z] Locum ex propheta bis citat S. Cyprianus, Adv. Judæos i. § vi. 3. § xlii. "Justus autem ex "fide mea vivet."

[a] Vid. Hieronymi Comment. in Isai. lib. iii. c. vi. tom. iv. p. 97.

"utatur testimoniis, quæ in Hebræis voluminibus non "habentur[b]." Mirum denique, quod solum locum ad Romanos citet, cum hic ad Hebræos multo plura ex LXX habeat, eaque ab Hebraico, uti a S. Hieronymo intelligitur, multum diversa. Ita enim LXX, Ἐὰν ὑποστείληται, οὐκ εὐδοκεῖ ἡ ψυχή μου ἐν αὐτῷ· ὁ δὲ δίκαιος ἐκ πίστεώς μου ζήσεται, vel, ut MS. Alex. ὁ δὲ δίκαιός μου ἐκ πίστεως ζήσεται. At aliter sonabant Hebraica, vertente S. Hieronymo, *Ecce qui incredulus est, non erit recta anima ejus in semetipso: justus autem in fide sua vivet.* Neque hic "excusandus" Apostolus; sed potius LXXviralis Versio approbanda ac defendenda est. S. quidem Hieronymus הִנֵּה עֻפְּלָה *Ecce qui incredulus est* transtulit, sensum magis quam verba respiciens; at cum בּוֹ vertit *in semetipso,* alienam plane a mente Apostoli sententiam est amplexus. Cum vero idem בּוֹ in Commentario referat ad visionem præcedentem, multo adhuc magis cum a LXX tum ab Apostolo recedit. Verba ejus sunt: "LXX dicentes γράψον "ὅρασιν, id est, *scribe visionem,* et postea, *si defecerit,* "*sustine eum, quia veniens veniet, et non tardabit; si* "*subtraxerit se, non placebit animæ meæ in eo,* pri"mum interpretati sunt *visionem* genere fœminino, "quæ apud Hebræos generis masculini est: deinde, "secundum Hebraicum genus, ubi declinatur mascu"line, *sustine eum,* et, *non placebit animæ meæ in eo,* "ipsi quoque masculino genere declinaverunt. Quum "utique debuerint, juxta id quod primum interpretati "sunt *visionem,* etiam in reliquis fœmininum genus "ponere *visionis,* ut dicerent, *expecta eam, quia* "*veniens veniet, quod si se subtraxerit, non placebit*

[b] Ibid.

"*animæ meæ in ea*, id est, *in visione*." Mira hæc quidem explicatio prophetæ, mira increpatio Seniorum. Neque vero moderna literalis expositio melior est, *Ecce elata est, non recta anima ejus in eo:* quæ quo referenda sint, aut ad quem finem dicta, quis divinare potest? Nos quidem textum Hebræum non solicitamus; sed secundum mentem Seniorum explicandum contendimus: עָפַל enim non tantum *elatum esse*, sed etiam *subducere se* et *occultare* significat; et cum nominis naturam induit, non tantum locum *excelsum* et *munitum*, sed etiam *obscurum absconditumque* denotat, ut 2 Reg. v. 24. וַיָּבֹא אֶל־הָעֹפֶל, καὶ ἦλθεν εἰς τὸ σκοτεινὸν, vel, ut paraphrastes Chaldaicus, וְעַל לַאֲתַר כַּסִּי, ut 2 Paralip. xxxiii. 14. et τὸ ἄδυτον et τὸ ὄπελ habemus; et Mich. iv. 8. *turris* עֹפֶל a LXX dicitur αὐχμώδης, S. Hieronymo *nebulosa*. Est igitur עָפַל *se subtrahere* præ metu et *occultare*, quod est ὑποστέλλεσθαι. Hesychius, et Suidas, Ὑποστειλάμενος, ὑποκρυψάμενος, φοβηθείς. Recte igitur הִנֵּה עֻפְּלָה reddi potest, *Ecce subducitur*, vel accipiendo הִנֵּה ut הֵן Chaldaice sumitur, *si subductio*, vel ὑποστολὴ, *fiat*, id est, *si quis se subducat*. ἐὰν ὑποστείληται, יָשַׁר autem sæpissime ἀρέσκειν denotat; ut Num. xxiii. 27. אוּלַי יִישַׁר בְּעֵינֵי הָאֱלֹהִים εἰ ἀρέσει τῷ Θεῷ, et Deut. vi. 18. וְעָשִׂיתָ הַיָּשָׁר καὶ ποιήσεις τὸ ἀρεστὸν, *et fac quod placitum est*. Sive igitur נַפְשִׁי sive נַפְשׁוֹ legamus, facto a persona ad personam transitu, qui interpretibus frequens est, recte hæc verba, הִנֵּה עֻפְּלָה לֹא יָשְׁרָה נַפְשׁוֹ בּוֹ ita transferentur, *si quis se subtraxerit, ille animo meo gratus non erit*. Illa autem verba, cum Græce, inverso ordine, ab Apostolo usurpantur, a Theodoro Beza haud bona fide sunt translata, *Justus autem ex fide vivet; at si quis se subduxerit, non est gratum*

animo meo. Cum enim pars posterior versiculi ad *justum* pertineat, ut recte Theophylactus, ἐὰν δὲ ὑποστείληται ὁ δίκαιος, Beza eum duplici ratione excludere conatus est, primum interserendo pronomen, *quis*, secundo ἐν αὐτῷ a persona, cui competit, ad factum transferendo. Ex quo loco quam suspecta debeat esse ejus translatio, nemo nescit, qui quibus opinionibus in theologia adhæserit novit. Utcunque sit, scriptores Novi Testamenti, Spiritu Sancto actos, cum ubique fere testimonia ex Veteri Fœdere ipsis LXX verbis depromant, non tam excusandos esse sentio, quod nimis est dilutum; quin potius videndum annon textus Hebraicus eorum interpretationem ferre possit, quo et Veteris Testamenti sensus rectius intelligatur, et Novi auctoritas magis confirmetur.

Tertio, LXXviralis Versio non tantum ad auctoritatem Apostolorum conservandum plurimum valet, verum etiam ad Novum Instrumentum recte intelligendum et accurate explicandum perquam necessaria est. Scriptores enim sacri Novi Fœderis non tantum ex Veteri frequenter testimonia producunt, sed etiam Mosen et Prophetas ubique doctrinæ Christianæ accommodant, resque Hebraico sermone ante descriptas Græcis verbis tradunt; quod fieri haud aliter fere potuit, quam ut modi formulæque loquendi Hebræis familiares, Græcis incognitæ aut saltem inusitatæ, redderent eorum scripta iis qui Græce tantum scirent obscuriora. Hæc autem obscuritas tolli aut illustrari nullo alio modo potuit, quam ex scientia idiomatum linguæ Hebraicæ, qua conscripti codices prophetici, quos Apostoli ubique fere respiciunt, et qua locuti sunt Christi tempore Judæi, ab antiquiori puriorique aliquantum deflexa, ad quorum mores modosque loquendi disse-

rendique sæpe sermonem accommodant. Hinc autem evenire necesse fuit, ut Græca Veteris Instrumenti versio ad scripta apostolica intelligenda plurimum conferret. In illam enim omnes idiotismi veteris linguæ Hebraicæ erant transfusi, in illa Prophetarum sensus Græce explicati; illi homines Græci, quibuscum præcipue Apostolis negotium fuit, diu fuerant assueti; eamque primo Divina Providentia factam par est credere, ut qui passim et ubique eam legissent, ad percipienda Apostolorum dogmata, sermonesque intelligendos, fierent aptiores.

Multa itaque Græca sunt in Novo Fœdere vocabula quæ ex usu Græcæ linguæ intelligi non possunt, ex collatione autem cum Hebræa, et ex usu LXX interpretum, facile intelliguntur. Quid σὰρξ, quid πνεῦμα, apud Græcos scriptores denotet, nemo nescit: at si omnes in universum sensus, quibus his vocabulis Græci usi sunt, recenseantur, nullus omnino invenietur, qui mentem Apostolorum attinget. Cum enim בָּשָׂר *carnem* proprie significet, eadem tamen vox ab Hebræis nonnunquam pro *homine* ipso, aliquando *pro humana natura*, sæpe pro ejusdem naturæ *imbecillitate*, aut etiam *vitiositate*, usurpetur, et in hac sensuum varietate unica voce σαρκὸς a LXX reddatur; hinc evenire necesse est ut quoties Apostoli eo sensu usurpent, quem Græci veteres haud agnoverunt, ex Hebræo idiomate et versione LXX explicetur. Ut celebratissimo loco legitur, καὶ ὁ Λόγος σὰρξ ἐγένετο, quod sine ulla veterum Græcorum auctoritate, et tamen recte, redditur, *et Verbum*, sive *Sermo*, *homo factus est*, sive humanam naturam induit. Et ἐξ ἔργων νόμου οὐ δικαιωθήσεται πᾶσα σὰρξ, id est, *homo quisquam*, ut Psalm. cxliv. (cxlv.) 21. εὐλογείτω πᾶσα σὰρξ τὸ ὄνομα τὸ ἅγιον. Hinc phrases

modique loquendi Græcis incogniti, *φρόνημα τῆς σαρκὸς, ἐν σαρκὶ* et *κατὰ σάρκα εἶναι, κατὰ σάρκα περιπατεῖν*, similesque plures. Ita cum רוּחַ satis proprie *πνεῦμα*, qualiter a veteribus Græcis usurpatur, denotet, et præterea etiam apud Hebræos multa alia significata contineat, quæ apud Græcos haud comparent, cum Apostoli eo sensu usurparunt, quem Græci veteres haud agnoverunt, ex Hebræo idiomate et versione LXX explicandi sunt: ut Joh. iii. 6. *Τὸ γεγεννημένον ἐκ τῆς σαρκὸς σάρξ ἐστι· καὶ τὸ γεγεννημένον ἐκ τοῦ Πνεύματος πνεῦμά ἐστι.* Unde sciemus quid sit *ῥῆμα*, Luc. i. 37. *οὐκ ἀδυνατήσει παρὰ τῷ Θεῷ πᾶν ῥῆμα*, nisi meminerimus scriptum Gen. xviii. 14. הֲיִפָּלֵא מֵיְהוָה דָּבָר quod LXX transtulerunt, *μὴ ἀδυνατήσει παρὰ τῷ Θεῷ ῥῆμα*; cum דָּבָר non tantum *verbum*, sed *rem* seu *negotium* denotet? Unde cognosceremus quam vim apud Apostolum habeant *τὸ δικαιοῦν* et *τὸ δικαιοῦσθαι*, nisi צדק ea significatione usurpassent Hebræi, et iis verbis LXX reddidissent? Frustra apud veteres Græcos quæras quid sit *πιστεύειν τῷ Θεῷ*, vel *εἰς τὸν Θεὸν*, quid sit *εἰς τὸν Κύριον*, vel *πρὸς τὸν Θεὸν πίστις*, quæ toties in Novo Fœdere inculcantur, et ex lectione Seniorum facile intelliguntur. Quid esset *ἀστεῖος τῷ Θεῷ*, Act. vii. 20. unde conjiceremus, nisi LXX Hebræa וַתֵּרֶא אֹתוֹ כִּי טוֹב הוּא ita reddidissent, *ἰδόντες δὲ αὐτὸ ἀστεῖον*; Quis *τὸν Κύριον* pro Domino Deo accipiendum putaret, nisi ita Seniores locuti essent, quibus *Κύριος* est *ὁ ὤν*. Verum hæc leviter tangere quam latius prosequi potius esse duximus; sunt enim pene infinita.

Neque vero Sacra Scriptura tantum futuro theologo pernoscenda, sed et Ecclesiæ, tot ubique sacrarum literarum testimoniis ubique suffultæ, status cognoscendus, et SS. Patrum in hunc potissimum finem

evolvenda volumina. Quod si Græcos Patres consuluerimus, quis eos de rebus divinis disserentes intelliget, qui normam, quam semper in animo, dum scriberent, habuere, non ante cognitam atque perspectam habeat? Aut quæ illis Scriptura Veteris Testamenti innotuit, præter eam quæ a LXX Senioribus edita est? Illam sane, illam ubique respiciunt; illius auctoritate nituntur, illius verba recitant, sententiam referunt, ut in Patrum operibus legendis cœcus plane sit qui eandem non noverit. Quis illa Clementis Romani, Apostolorum discipuli, intelliget, *Οὐκ, ἐὰν ὀρθῶς προσενέγκῃς, ὀρθῶς δὲ μὴ διέλῃς, ἥμαρτες; ἡσύχασον*[c]. Quis illa quæ sequuntur, ut ex sacris oraculis deprompta, agnoscet, *Καὶ εἶπε Κάϊν πρὸς Ἄβελ τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ, Διέλθωμεν εἰς πεδίον*, nisi lacunam Hebræorum codicum observet, et LXX versionem consulat, cui et Samaritanus, et Syrus suffragantur? Patricius Junius, licet Græce doctissimus, hæc S. Clementis verba, *τὸ κύτος τῆς ἀπείρου θαλάσσης κατὰ τὴν δημιουργίαν αὐτοῦ συσταθὲν εἰς τὰς συναγωγὰς οὐ παρεκβαίνει τὰ περιτεθειμένα αὐτῇ κλεῖθρα*[d], minus bene transtulit, "Immensi "maris profunditas in cumulos coacervata claustra et "repagula quibus vallatur non transgreditur;" quod haud perspiceret Patrum antiquissimum creationem respexisse, et LXX interpretum verba usurpasse, quæ in Hebræo non habentur, Gen. i. 9. *καὶ συνήχθη τὸ ὕδωρ τὸ ὑποκάτω τοῦ οὐρανοῦ εἰς τὰς συναγωγὰς αὐτῶν.* Licet enim S. Basilius observet hæc verba fuisse obelo notata[e], nec in Hebræo codice reperiantur, patet

[c] Epist. I. ad Cor. c. iv. Vid. H. Wottoni nott. ad loc.

[d] Epist. I. ad Cor. c. xx. Vid. H. Wottoni nott. ad loc.

[e] Hexaem. Hom. iv. 5. S. Ambrosius ait, "Aliqui nec in Hebræo putant esse, nec in cæteris "interpretationibus......Sed quia

tamen ea ad interpretationem LXX pertinere, et ad ipsa S. Clementem respexisse; et objectio ab Origene facta a Joanne Philopono jamdudum est diluta[f]. In hunc igitur modum sententia S. Clementis fuit potius conformanda, "Moles immensi maris in ipsa sui crea-"tione in congregationes suas collecta, repagula sibi "circumposita non transgreditur." Clementis Alexandrini Στρωματεῖς, cum ex variis auctorum veterum sententiis, tum vero præcipue ex Sacris Scripturis sunt contexti: nec ullibi magis obscuri redduntur, quam ubi Seniorum verba haud notantur et a reliquis distinguuntur. lib. i. Παιδεία δὲ ἀνεξέλεγκτος πλανᾶται, interprete Herveto, "Disciplina vagatur inconfutabi-"lis;" quæ verba et per se nihil significant, et ab auctoris instituto plane sunt aliena. Scripta autem sunt, quod interpres haud observaverat, Prov. x. 17. Est autem eo loco ἀνεξέλεγκτος, עֹזֵב תּוֹכַחַת *increpationem deserens*, aut ut Vulg. *relinquens*, i. e. haud potens redarguere, convincere, refellere. Ita saltem Clemens Solomonem intellexit, ut ex ipsius verbis patet: Παιδεία δὲ ἀνεξέλεγκτος πλανᾶται, φησὶ, καὶ χρὴ μετεῖναι τὸ ἐλεγκτικὸν εἶδος ἕνεκα τοῦ τὰς δόξας τὰς ἀπατηλὰς διακρούεσθαι τῶν σοφιστῶν.

Sed et ad Latinos Patres non minus quam Græcos recte intelligendos LXXviralis Versio perquam utilis est, imo necessaria. Quoties enim aliquid ex Veteri Fœdere citant, aut ad locum aliquem quocunque modo respiciunt, aut ipsi Seniores illos interpretantur, aut

"in aliis quoque creaturis habet "et definitionem præceptionis, "et repetitum operationis vel in-"dicium, vel effectum, ideo nos "non putamus absurdum id quod "perhibetur additum." Hexaem. lib. iii. c. v.

[f] Joann. Philoponus de Mundi Creatione, lib. iv. c. iv. S. Clementis loci versionem, quæ sequitur, cum debita laude Pearsoni, recepit Wottonus.

Latinam interpretationem ex LXX versione factam referunt. Quamvis enim fuerint quamplurimæ inter Latinos Patres Veteris Instrumenti versiones, tamen ante S. Hieronymum nulla ex Hebræo codice facta est, sed ex Græco omnes. "Qui enim scripturas ex He-"bræa lingua in Græcam verterunt, numerari possunt, "Latini autem interpretes nullo modo. Ut enim cui-"que primis fidei temporibus in manus venit Codex "Græcus, et aliquantulum facultatis utriusque linguæ "habere videbatur, ausus est interpretari," ut loquitur S. Augustinus de Doctr. Christiana, lib. ii. c. xi. Et de Civit. Dei, lib. xviii. c. xliii. "Cum fuerint et alii "interpretes, qui ex Hebræa lingua in Græcam sacra "illa eloquia transtulerunt, hanc tamen quæ LXX est, "tanquam sola esset, sic recepit Ecclesia, eaque utun-"tur Græci populi Christiani, quorum plerique utrum "alia sit aliqua ignorant. Ex hac LXX interpretatione "etiam in Latinam linguam interpretatum est, quod "Ecclesiæ Latinæ tenent." Omnes itaque Latinæ Veteris Instrumenti versiones ante S. Hieronymum ex LXX Interpretibus sunt expressæ; atque ideo Latini Patres, ubi locum aliquem inde proferunt, aut ad Mosen et Prophetas quoquo modo respiciunt, non aliter quam ex illa interpretatione sunt intelligendi. Libros duos adversus Judæos scripsit ad Quirinum S. Cyprianus, ex utroque Fœdere, Veteri præcipue, "excerptis capitulis et annexis;" hæc autem, quatenus Vetus Instrumentum spectant, non aliter quam ex LXX versione intelligi possunt. Quis mentem S. Ambrosii assequetur, qui, in Oratione de obitu Theodosii[g], de Helena in hunc modum loquitur, "Adoravit illum "qui pependit in ligno, illum, inquam, qui sicut

[g] § 46. Cf. S. Ambros. Epist. xxxii. 6.

"scarabæus clamavit, ut persecutoribus suis peccata "condonaret," nisi qui sciat eum ad illa Habac. ii. 11. respexisse, Λίθος ἐκ τοίχου βοήσεται, καὶ κάνθαρος ἐκ ξύλου φθέγξεται αὐτά; Unde et a S. Ambrosio, et S. Augustino Christus appellatur "Scarabæus bonus."

Denique Seniorum lectio vel ideo urgenda, quod in ea veteris Græcæ literaturæ plurima supersint vestigia, et nonnulli ex criticis Græcis aliter intelligi recte non possint, nisi quando ad LXX respexerint observemus. Unus pro reliquis nobis erit Hesychius, quem nemo nisi in Senioribus versatissimus unquam intelliget. Apud eum legimus, Σόορ τυρός. Unde, quia vocibus Laconicis scatet, e litera postrema colligere quis posset Laconum dialectum esse; et ita Isaacus Casaubonus ad Athenæum scripsit. "Σόορ vel Σόρορ, pro τυρὸς, *caseus.*" At mihi dubium non est, non Σόορ scripsisse Hesychium, sed Σὸρ, idque vocabulorum series postulat; unde Casaubonus, "vel Σόρορ," addidit. Neque τυρὸς scripsisse eum autumo, aut *caseum* in animo habuisse; sed τύρος; atque adeo urbem *Tyrum* intellexisse. Ita enim legimus, Ezech. xxvi. 2. Ἀνθ' οὗ εἶπε Σὸρ ἐπὶ Ἱερουσαλὴμ, et v. 3. Ἰδοὺ Ἐγὼ ἐπὶ σὲ, Σόρ. Utrobique autem Hebraice legitur צר, quæ alibi a LXX Τύρος redditur. Recte igitur apud Hesychium Σὸρ, Τύρος. Eusebius de Locis Hebraicis, Σὸρ, Τύρος, Φοινίκης μητρόπολις, κλήρου Νεφθαλείμ. S. Hieronymus, "Sor, "Tyrus, metropolis Phœnices, in tribu Nephthalim." Et Theodoretus, lib. xi. in Ezechielem, ἡ γὰρ Τύρος Σὸρ τῇ ἐπιχωρίῳ προσαγορεύεται φωνῇ. Legimus apud eundem, Βαρακινῆσιν, ἀκάνθαις, σκόλοψι· et observat H. Stephanus legendum Βαρακηνίσιν, quia apud Suidam Βαρακηνὶς, ἡ ἄκανθα. Verum an vox ipsa sit bene Græca, aut unde talem significationem sit sortita, non docet.

Stephanus autem Glossographus antiquus MS. in expositione ἐνδιαθέτων γραφῶν, eadem in hunc modum scripsit, Βαρακίνησιν, ἀκάνθαις, σκώληψι, (lege ex Hesychio σκόλοψι,) unde statim colligimus vocem esse Scripturariam. Et quidem Jud. viii. 7. legimus, וְדַשְׁתִּי אֶת־בְּשַׂרְכֶם אֶת־קוֹצֵי הַמִּדְבָּר וְאֶת־הַבַּרְקָנִים׃, LXX, καὶ ἐγὼ ἀλοήσω τὰς σάρκας ὑμῶν ἐν ταῖς ἀκάνθαις τῆς ἐρήμου, καὶ ἐν ταῖς βαρκηνίμ. Ita Codex Romanus: Alexandrinus, βορκομμεὶν, Ald. βορκοννείμ. Quod autem ἀκάνθας, sive σκόλοπας, eam vocem veteres significare putarint, patet vel ex eo, quod Complutensis et Oxoniensis habeant ἐν τοῖς τριβόλοις. Et Eusebius lib. de Locis Hebraicis, Βορκοννεὶμ, Ἀκύλας τρέπει εἰς ἀκάνθας, Σύμμαχος εἰς τριβόλους. Ita editio Bonfrerii; et S. Hieronymus, "Borconni, quod vertit Aquila in *spinas*, et "Symmachus in *tribulos*." Sed suspecta mihi vox illa τρέπει apud Bonfrerium; in meo enim codice scribitur, Βορκοννεὶμ, ά τραγακάνθας καὶ τριβόλους. Ubi pro καὶ (ϗ) legendum σ', i. e. Symmachus, ut ex S. Hieronymi versione constat[h]. Βαρκανεὶμ igitur, vel, ut Codex Alexandrinus ad versum 19. Βαρακηνεὶμ, Græco casu redditur βαρακηνίσιν.

Apud eundem legimus, Μὴ ἀποσκορακίσησμε, μὴ ἀποδιώξησμε, μὴ ἀποδοκιμάσησμε, ubi omnia leviter sunt corrupta. Paulo correctius eadem pene apud Suidam, Μὴ ἀποσκορακίσῃς με, μὴ ἐκδιώξῃς με, μὴ ἐς κόρακας ἐκβάλῃς. Hæc ad Scripturam Veterem pertinere docet nos Lexicon vetus Scripturarium a reverendo archiepiscopo Armachano mihi concreditum, ubi inter vocabula ad Psalmorum explicationem pertinentia legimus, Μὴ ἀπο-

[h] τραγακάνθας, ex Cod. Vaticano edidit Vallarsius, Hieronymi tom. iii. 177. Vid. annotationem Montfauconi ad loc. in Hexaplis, tom. i. 244.

σκορακίσῃς με, μὴ ἀποδοκιμάσῃς με, μὴ ἀποῤῥίψῃς με. At nec in editione Romana, nec in MS. Alexandrino tale quippiam invenitur. In editionibus quidem Aldina et Complut. Psalm. xxvi. 9. habentur, βοηθός μου γενοῦ, μὴ ἀποσκορακίσῃς με, καὶ μὴ ἐγκαταλίπῃς με, quibus suffragatur B. Theodoretus. At Vulgatus Interpres lectionem Romanam et Alexandrinam, μὴ ἐγκαταλίπῃς με, καὶ μὴ ὑπερίδῃς με sequutus est; vertit enim, *ne derelinquas me, neque despicias me.* Adeo vetus est inter Codices LXX discrepantia. Certe Seniores verba, אַל־תִּטְּשֵׁנִי transtulerunt μὴ ἀποσκορακίσῃς με, cæteri autem Interpretes, μὴ ἀποῤῥίψῃς με, quæ verba auctor Lex. Armachani pro explicatione posuit. Testis est B. Theodoretus, τὸ, μὴ ἀποσκορακίσῃς με, μὴ ἀποῤῥίψῃς με, εἶπον οἱ ἄλλοι ἑρμηνευταὶ, additque, ex eruditione Gentilium Seniores hoc vocabulum hausisse, ἀπὸ τῆς ἔξωθεν δὲ παιδείας οἱ ἑβδομήκοντα τοῦτο τὸ ὄνομα πεποιήκασι· τὸ γὰρ, ἐς κόρακας, ὕβρις τις ἦν παρὰ τοῖς πάλαι ἀπό τινος μύθου γεγενημένου. Vult igitur a trito proverbio, ἐς κόρακας, e fabula quadam nato, ut etiam Zenobius et Suidas testantur, dictum fuisse σκορακίζειν, quæ vox bene Græca est, ab ipso Demosthene usurpata[1], et ἀποσκορακίζειν. Cui observationi Grammatici veteres adstipulantur. Zenobius, Σκορακίζειν, ἀντὶ τοῦ, εἰς κόρακας πέμπειν, ἐκφαυλίζειν. Hesychius, Σκορακίζει, εἰς ἔρημον πέμπει, καὶ ἀρᾶται, ἀπὸ τοῦ εἰς κόρακας πέμπειν, τὸ ἐκφαυλίζειν. Suidas, Σκορακίζειν, οἷον ἐς κόρακας ἀποπέμπειν· ἀπὸ τούτου γὰρ εἴρηται. Σκορακίζειν igitur ex proverbio factum est; non a LXX, ut innuere videtur B. Theodoretus, sed a Græcis vetustioribus, a quibus acceperunt Seniores. Et frustra H. Stephanus ἀποσκοράζω, *detraho*, novum in lingua Græca verbum,

[1] In Epist. Philippi, 13.

ex depravato Hesychii loco, ut solet, excogitavit, Ἀπεσκόραζεν, ἀπεσύρατο. Legendum enim Ἀπεσκοράκισεν, ut apud Etymologum legimus, Ἀπεσκοράκισεν, ἀντὶ τοῦ, ἀπεκρούσατο, καὶ μετὰ μίσους ἐξέβαλεν[k]. Diffiteri tamen non possumus, Seniores aliquando voces nonnullas effingere atque formare ad exprimenda verba Hebræa, quæ erant Græcis auribus inauditæ. Ut cum apud Hesychium legimus, Ἐν μακρύμασιν, ἐν ἀποστασίαις, quis veterum Græcorum hæc intelligeret? quis quid velit sciret, nisi Seniores consuleret, qui ita in Esdræ interpretatione loquuntur, ix. 1. οὐκ ἐχωρίσθη ὁ λαὸς Ἰσραὴλ καὶ οἱ ἱερεῖς καὶ οἱ Λευῖται ἀπὸ λαῶν τῶν γαιῶν ἐν μακρύμμασιν αὐτῶν. Hebr. כְּתֹעֲבֹתֵיהֶם, cum ipsi soleant תֹּעֵבָה aut in ἀνομίαν, aut frequentius in βδέλυγμα vertere. Ideo autem in hoc capite per μάκρυμμα reddidisse videntur, quod vers. 11. cum נִדָּה sit conjuncta. אֶרֶץ נִדָּה הִיא בְּנִדַּת עַמֵּי הָאֲרָצוֹת בְּתוֹעֲבֹתֵיהֶם γῆ μετακινουμένη ἐστὶν ἐν μετακινήσει λαῶν τῶν ἐθνῶν ἐν μακρύμμασιν αὐτῶν. Ut enim תֹּעֵבָה τῇ נִדָּה accommodarent, per μάκρυμμα expresserunt, id est, *remotionem, separationem, elongationem*, quæ immunditiam et abominationem sequitur: נִדָּה enim *remotio*, seu quicquid propter immunditiam removetur. Hinc נִדָּה Senioribus ἄφεδρος. Hesych. Ἀφέδρῳ, ἀκαθαρσίᾳ, ut Lev. xv. 19. ἑπτὰ ἡμέρας ἔσται ἐν τῇ ἀφέδρῳ αὐτῆς. Nonnunquam eadem ἀποκαθημένη redditur. Hesych. Ἀποκαθημένη, αἱμορροοῦσα, ut Ezech. xxii. 10. ἐν ἀκαθαρσίαις ἀποκαθημένην ἐταπείνουν. A μακρύνω igitur ut μεμακρυμμένον

[k] Vox ἀποσκορακισμὸς occurrit in Versione LXX, Isai. lxvi. 15. quam Latine reddit Hieronymus, *increpationem*. Tatianus, Orat. contr. Græcos, c. xii. οἱ τὸν Σκύθην Ἀνάχαρσιν μὴ ἀποσκορακίζοντες. Et Clem. Alex. Pædag. ii. c. xii. τὰ κόσμια ἀποσκορακιστέον. iii. c. xi. ἀποσκορακιστέον δὲ ἡμῖν καὶ τοῦ περιπάτου τὸ μανιῶδες.

Psalm. lvi. in titulo, ita et *μάκρυμμα* deduxerunt: quam vocem, opinor, certe expositionem ejus, frustra apud veteres Græcæ linguæ scriptores quæras.

Cum igitur LXXviralis Versio ad Hebraicam veritatem probe perspiciendam, ad auctoritatem testimoniorum Apostolicorum confirmandam, ad nativum Novi Fœderis stylum recte intelligendum, ad Græcos Latinosque Patres rite tractandos, ad scientiam denique linguæ Græcæ ipsamque criticen adornandam, tam sit utilis atque necessaria, quis eam doctis omnibus, præsertim theologis, non videt debere esse commendatissimam?

Quoniam autem hæc Seniorum versio, etiam S. Hieronymi tempore, "corrupta fuit atque violata," danda est opera, ut ei pristina puritas restitui et redintegrari possit. Certum est exemplaria quæ habemus, Complutense, Aldinum, Romanum, plurimum inter se et ab Alexandrino discrepare; alios etiam Codices aliquarum S. Scripturæ partium satis antiquos, nunc cum eorum aliquo, nunc cum nullo, convenire. Optime igitur fecerit, qui Codices omnes MSS cum editis diligenter contulerit, qui varias lectiones non tantum ad Hebraicam veritatem examinaverit, sed cum antiquissimorum Judæorum Philonis et Josephi, et vetustissimorum Patrum scriptis comparaverit, ac denique expositiones eas, quæ apud lexicographos scripturarios etiamnum exstant, vel potius delitescunt, inspexerit, atque ita nobis editionem LXX maxime puram adornaverit. Quale opus utinam aliquando vir doctissimus Isaacus Vossius, qui optime potest, perficeret ederetque.

J. P.

